



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XIII. Asseritur argumentis sententia Catholica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)

bus Patribus Nicæni Concilij II. vt videre est act. 3. 4. 6. & 7. necnon ex Damasc. orat. 1. & 3. de imaginibus. & Iona Aurel. lib. 1. de cultu imag. & Beda in cap. 4. Luc. immò omnes veteres cultum falforum Deorum idèd vocauerunt idololatriã, non idoloduliam, qui videbant cultum Deo proprium, secundum Ecclesiasticum loquendi modum, vocari latrariam, non duliam, vt August. notauit quæst. 61. in Genes.

Neque obstat, quòd isti Patres rarò meminerint nominatim duliæ; nam cum dicunt, Sanctos & imagines coli debere, & nõ latraria; satis indicant, debere coli alia specie cultus; eam nos vocamus duliam, vt eam vocat Beda in ca. 4. Luc. & Magister cum omni Schola lib. 3. sent. dist. 9. Et idem insinuat August. lib. 10. ciuit. Dei, cap. 1. vbi dicit, cultum debitũ creaturæ non vocari Ephes. 6. ab Apostolo latrariam, sed alio nomine. Apostolus autem ibi vocat duliam. Itaque non erat opus, vt Martinus Peresius in suo opere de traditionibus, parte 3. consideratione 7. diceret, non sibi multum probari nomen duliæ sumptum pro cultu Sanctorum, cum dulia propriè significet seruitutem, & nos non simus serui Sanctorum, sed conferui. nam in Scripturis dulia non solùm accipitur pro seruitute mancipiorum, sed etiã pro honoraria subiectione, vt Galat. 5. *Διὰ τῆς ἀγάπης δουλεύετε ἀλλήλοις;* Per caritatem seruite inuicem. Hoc ergo modo potuerunt Theologi cultum Sanctorum vocare duliam.

CAPVT XIII.

Afferitur argumentis sententia Catholica.

SVPEREST iam, vt probemus cultum aliquem minorem diuino, & maiorem ciuili & merè humano, sacris rebus, sanctis Angelis, & hominibus deberi.

PRIMUM argumentum sumitur ex illo Psalm. 98. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est;* vbi ad litteram per scabellum pedum Domini, intelligitur arca Testamenti. Nam 1. Paralip. 28. dicit Salomon: *Parauit domum, Sibi requiesceret arca Domini, & scabellum pedum Dei nostri.* Nec sine causa dicebatur arca scabellum pedum Domini;

mini; nam supra arcam erat propitiatorium quasi sedes Dei, quæ tenebatur manibus duorum Cherubin, de qua dicitur in principio huius Psal. *Qui sedes super Cherubin, moueatur terra, &c.* Idem habetur Psal. 131. in illis verbis: *Intrabimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, & hi steterunt pedes eius;* nam in Hebræo est: *Adorabimus scabellum pedum eius.* Et quòd loquatur de arca, patet, quia præcedit: *Intrabimus in tabernaculum eius.* Et statim etiam sequitur: *Surge, Domine, in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* Et hoc idem clarius colligitur ex lib. 2. Regum, cap. 6. *Arcam, inquit, super quam inuocatum est nomen Domini, sedentis in Cherubin super eam.*

Iam verò quòd in his locis præcipiatur aliquis cultus, patet ex verbo, *adorate*, quod etià Hebraicè est proprium verbum adorationis *אָדָרָה*, quòd autem arca sit creatura, nulli dubium esse potest: quod denique iste cultus non sit civilis, sed religionis, patet ex ratione Davidis: *Quoniam, inquit, sanctum est*, hoc videlicet scabellum. Cultus enim civilis debetur rebus propter civilem & humanam excellentiam; at arca dicitur adoranda, non propter civilem excellentiam, sed quia sacra & sancta est, cum sit scabellum pedum Dei.

Bucerus & Calvinus in hunc locum Psalmi, respondent, hinc nomine scabelli intelligi templum, & præcipi, non ut adoretur templum, sed ut adoretur Deus in templo, & probant dupliciter. PRIMÒ ex verbo Hebræo *אָדָרָה* ad scabellum. SECUNDO ex illo, quoniam sanctus est, nam Hebræum *קֹדֶשׁ* est ambiguum, sed Græcus exposuit vertès *ἅγιος*, non *ἄγιος*.

RESPONDEO, nomine scabelli necessariò intelligi arcam ut supra ostendimus; & proinde ruit expositio hereticorum; non enim arca est locus, in quem possent Iudæi intrare ad adorandum Deum. Deinde etiam si scabellum esset templum, adhuc argumentum nostrum vigeret, quia nō ait David, *adorate in scabello*, sed *adorate scabellum*; & probatur. PRIMÒ, quia vertit Chald. *Incuruate vos templo.* Itē LXX. & Hieronymus: *Adorate scabellum*, verterunt.

SECUNDO, quia in Scriptura ferè vbiunque habemus, adorari aliquem, constructio fit cum ל, vt Genes. 23. *Adorauit Abraham populis terra*, id est, filios Chet, אֲרָץ לֵב בְּרִי חֵת, יִשְׁתַּחֲוֶה לָּם.

TERTIO, quia etiamsi verteretur ad templum, adhuc idem significaretur; nam verbum Hebræum significat: *Incuruate vos ad illam rem.*

QUARTO, quia Hieronymus in epistola ad Marcellam, vt migret in Bethlehem, testatur, ipsam arcam coli solitam: *Venerabantur, inquit, quondam Iudæi sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubin & propitiatorium, & arca Testamenti, &c.* & hoc idem ex aliis Scripturis patet, Iosue 3. 1. Regum 6. 2. Reg. 6. Hebr. 9. nam Iosue 3. iubentur in itinere nunquam accedere prope arcam ad spatium duorum millium cubitorum. 1. Reg. 6. Bethsamitæ quia arcam viderunt sine debita reuerentia, occisi sunt à Deo ad 50000. hominum. 2. Reg. 6. Oza similiter interfectus à Domino est, cum arcam terigisset, quod ei non licebat, sed solis Sacerdotibus. Denique propter honorem arcæ nemo poterat ingredi sancta Sanctorum, vbi illa erat, nisi summus Pontifex semel in anno, vt Paulus docet Hebr. 9. At certè arca creatura erat, & iste honor illi exhibitus non ex vrbantate, sed ex religione aliqua procedebat.

Ad illud; *Quoniam sanctus est*, fateor nõ malè verti, *Quoniam sanctus est*; vt LXX. & Hieronymus verterunt. Sed hoc nihil ad rem. nam siue dicatur scabellum adorandum, quia sanctum est, siue quia est Dei sancti, semper affertur causa religiosæ adorationis.

SECUNDO, probatur ex adoratione exhibita Angelis ab hominibus piis & prudentibus. nam Gen. 18. Abraham pronus in terram adorauit Angelum. Et similiter fecit Loth, Gen. 19. Sed quia posset responderi, tam Abrahamum quàm Loth non cognouisse Angelos, sed homines putasse in itinere, cum eos adorauerunt, & ciuilitè tantum adorasse: proferamus loca clariora. Num. 21. *Aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem in via euaginato gladio, adorauitq; cum pronus in terram.* Hic certè non prius adorauit, quàm Angelum agnouit: Angelis autem ridiculū est dicere,

FFFFF 4

deberi

deberi civilem honorem. I T E M Iosue 5. cū vidisset Iosue virum stantem euaginato gladio, dixit: *Noster es, an adversariorum?* Ille: *Nequaquam, inquit, sed Princeps sum exercitus Domini.* Continuo cecidit Iosue pronus in terram, & adoravit. Hinc aperte videmus adorationem illam mediam, quam quærimus; nam quod Iosue non putaverit illum, quem adorabat, esse Deum, patet, quia Angelus dixerat, se esse Dei ministrum. Quod etiam non adoraverit civiliter, sed religiosè, patet, quia non prius adoravit, quàm intellexit esse Angelum Dei legatum: quod denique non male fecerit adorando, patet, quia Angelus non solum non prohibuit eum ab adoratione, sed etiam iussit adhuc maiorem honorem sibi exhiberi, dicens: *Solve calceamenta pedum tuorum; locus enim, in quo stas, sanctus est.* Non erat autem sanctus locus ille, nisi ob Angeli præsentiam; non enim erat tunc Iosue in loco sacro, sed in campestribus Hiericho.

T E R T I O, probatur ex adoratione Sanctorum in Scripturis, 1. Reg. 28. Saul adorat animam Samuelis sibi apparentem. Certum autem est, non convenire civilem honorem animabus defunctorum: neque dici potest, in hoc errasse Saulem, quādoquidem nec ipse Samuel, nec Scriptura Saulem reprehendit. Item 3. Reg. 18. Abdias vir sanctus adorat Heliam pronus in terram: neque possumus dicere hunc civilem cultum fuisse; nam quantum ad humanam excellentiam, maior erat Abdias quàm Helias; iste enim privatus homo erat, ille autem vnus ex Principibus regni. Adoravit ergo eum ut Prophetam, ac Dei hominem singulari sanctitate excellentem. Item 4. Reg. 2. Filij Prophetarum cū audissent spiritum Helie requievisse super Helisæum, accedentes adoraverunt eum proni in terram.

Denique Danielis 2. Nabuchodonosor adorat Danielem. quis autem diceret, aut crederet à Rege summo adoratum civiliter vnum ex captivis, qualis erat Daniel? Adoravit ergo eum religiosè, ut hominem Deo plenum, neque per errorem adoravit, Deum illum existimās; nam adorans ait: *Verè Deus Vester Deus Deorum est, & Dominus Regum, & revelans mysteria, quoniam tu potuisti aperire hoc Sacramentum.* Quod etiam fecisse Alexandrum Regem

gem Pontifici Iaddo, scribit Iosephus lib. II. cap. 8. antiquita-
tum.

Neque obstat, quòd Nabuchodonosor Danieli iussit of-
ferri sacrificium; nam non loquitur Scriptura de sacrificio,
quod soli debetur Deo. Sacrificium enim Deo proprium est
immolatio animalium, quod vocat Hebraicè זבח de quo
dicitur Exod. 22. *Immolans Deis eradicabitur, praterquam
Domino soli.* Ibi enim est Hebraicè זבח. Nabuchodono-
sor autem obtulit Danieli non זבח, sed מנחה & בריחה,
hoc est, munera, & odores. quorum vtrumq; tam Deo, quàm
homini offerri solet. Nam 1. Reg. 10. vbi legimus, quosdam
ex Israëlitis non voluisse agnoscere Saulem Regē, nec ei mu-
nera attulisse, pro munere est מנחה. Porro suaues odores
nos etiam in ipsa Ecclesia offerimus imaginibus & reliquiis,
cùm tamen asseramus, sacrificium non deberi nisi soli Deo.
Immò Dionysius, ca. 3. part. 2. Eccle. hierarch. dicit, Pontifi-
cem in sacris mysteriis, vbi adoleri cœpit incensum, primùm
suffire aram, deinde totius Ecclesiæ ambitum, quod etiam
nunc fieri videmus. Si hoc non placet, dicamus cum Hiero-
nymo & Theodoro, Nabuchodonosor sacrificium obtru-
lisse Danieli, id est, Deo Danielis.

Argumentum QUARTVM sumitur ex confessione Pa-
trum, qui à temporibus Apostolorum, vsq; ad nostra tempo-
ra floruerunt. IUSTINVS in 2. Apologia pag. 2. loquens no-
mine omnium Christianorum, & fidem totius Ecclesiæ ex-
plicans: *Sed, inquit, & illum (Deum Patrem) & eius Fi-
lium qui venit, nosq; hæc docuit, & aliorum sequentium, si-
miliumq; bonorum Angelorum exercitum, & spiritum pro-
pheticum colimus atq; adoramus, verboq; & re seu veritate
veneramur, idq; omnibus qui discere volunt, et docti institu-
tiq; sumus, copiose tradimus.*

ORIGENES hom. 3. in diuersos: *Horum, inquit, memoria
semper, et dignum est, in Ecclesia celebratur.*

EUSEBIUS lib. 13. præpar. Euang. cap. 7. *Nos, inquit, quoti-
die id factitamus; nam vera pietatis milites, et Dei amicissi-
mos honoramus.* Idem Eusebius lib. 4. hist. cap. 15. refert ex epi-
stola Ecclesiæ Smyrnenis de martyrio S. Polycarpi, quòd
cùm Gentiles metuerent, ne Christiani, relicto Christo, Po-
lycarpum

FFFFF 5 lycarpum

Ilycarpum adorarent, veteres illi Christiani dicebant, se non posse vlllo modo Martyres pro Christo colere, sed tamen eos diligere & venerari, quòd fidem integrè Magistro & Domino seruauerint.

ATHANASIVS in lib. de virginitate, circa finem: *Si homo iustus ades tuas, inquit, intrauerit, cum timore & tremore occurrens illi, adorabis humi ad pedes illius.* At vt ostendat se loqui de religiosa adoratione: *Non enim, inquit, eum, sed Deum adorabis, qui illum mittit; Dominus enim ait, qui recipit iustum, me recipit.* vbi nota, adorari Deum in iustis, non quòd adoratio non terminetur ad hominem iustum, sed quia ratio, cur iustus adoretur, est Deus. Quemadmodum qui recipit iustum hospitio, ei que eleemosynam facit, Christum recipere, & Christo eleemosynam facere dicitur, quia fit propter Christum, & Christus ita accipit, ac si fieret sibi.

BASILIVS oratione in S. Mamantem: *Ecclesia, inquit, per hoc, quòd eos honorat, qui precesserunt, presentes impellit.* Et orat. in quadraginta Martyres: *Honor, inquit, quem bonis seruis exhibemus beneuolentia, erga communem dominum significationem de se prabet.*

Gregorius NAZIANZENSIS orat. in Machabæos, initio conqueritur, quòd sanctos Machabæos non omnes vbique colant, sicut martyrium ipsorum meretur. Et orat. r. in Iulianum, non procul ab initio, loquens de quodam honore impenso à Iuliano Apostata cuidam Martyri, quem Martyr ille mirabili signo recusauit: *O insignem, inquit, Martyrum inter se caritatem, honorem illius, qui multos martyres contemptui habiturus erat, recusarunt.* Et paulò antè dixerat, honorem Martyrum esse perspicuam notam amoris in Christum.

Gregorius NYSSENSIS oratione in Theodorum Martyrem, vbi multa dixit de cultu, qui sanctis Martyribus ab Ecclesia exhibetur, ait: *Cui Regum talis honor habetur? Quis ex iis, qui supra modum inter homines excellere & si sunt, talis memoria celebratur? Quis Imperatorum adeò decantatus, & fama celebratus est, ut hic miles pauper, modò conscriptus Tyro, quem Paulus armauit, quem Angeli exxerunt, quem Christus coronauit?*

EPIPHANIVS hæres. 79. vbi refellit eorum errorem, qui

Mariz

Mariæ tanquam Deæ sacrificium offerebant, metuens, ne ista occasione nullus honor B. Mariæ deferretur, vt nunc hæretici faciant, sapissimè reperit illa verba : *Sit in honore Maria, Dominus adoretur.*

IOANNES CHRYSOSTOMVS hom. de Sanctis Iuuentino & Maximo: *Non aliter priscos, inquit, aliter recentiores colitis Sanctos, sed eadem alacritate omnes.* Et infra: *Et Martyres, inquit, quos hodie colimus, aderant.* Et infra: *Idcirco saepe eos inuisamus, tumulos adoremus, &c.*

CYRILLVS Alexandrinus lib. 6. in Iulianum, vltra medium: *Nos, inquit, non Deos factos esse diximus sanctos Martyres, sed omni honore dignari consueuimus.*

THEODORETVS lib. 8. ad Græcos: *Suos, inquit, mortuos Dominus Deus noster in templa pro Diis vestris induxit, ac stulos quidem cassos gloria, & sanosq; reddidit, suis autem Martyribus honorem illorum dedit, &c.* vbi notandum est, honorem Deorum traditum Martyribus, quia vbi colebatur Dij, nunc coluntur Martyres, nõ autem quòd eodem modo colantur. Subdit enim Theodoretus: *Atqui nos o Graci homines, nec hostias Martyribus, nec libamina vlla deferimus, sed vt sanctos homines, Deiq; amicissimos honoramus.*

Denique IOANNES DAMASCENVS de fide Orthodoxa, lib. 4. cap. 16. *Honorare, inquit, decet Sanctos, vt amicos Christi, vt filios & heredes Dei, &c.*

Ex Latinis. TERTULLIANVS de corona militis, meminit celebrationis festorum in natalitiis Martyrum.

CYPRIANVS lib. 4. epist. 5. *Martyrum, inquit, passiones, & dies anniuersaria commemoratione celebramus.*

AMBROSIVS serm. 6. in fine: *Quisquis honorat Martyres, honorat & Christum, & qui spernit Sanctos, spernit & Dominum.*

MAXIMVS serm. de natali sanctorum Octauij, Aduentoris & Solutoris Martyrum: *Cunctis, inquit, Martyres deuotissimè percolendi sunt, sed specialiter ij venerandi, quorum reliquias possidemus.*

PRUDENTIVS de S. Hyppolito:

*Hic corruptelis, animiq; & corporis ager
Orati quoties stratus, opera merui.*

Nota illud; *Orati stratus.*

PAVLINVS natali primo S. Felicis :

*Roma Petro Pauloq; potens rarefcere gaudet
Huius honore Det, &c.*

Et natali octaua :

*Cuius honore Deus gaudet, quia Martyr honorem
Contempsit proprium.*

HIERONYMVS in epistola ad Riparium : *Honoramus*, inquit, *seruos, & honor seruorum redundet ad Dominum.* Et in vita Paulæ : *Vale, ô Paula, & cultorem tuum orationibus iuuua.* Et ibidem dicit, Paulam cum inuiferet sanctos Eremitas, singulis ad pedes prouolutam, ita eos venerari solitam, ac si in singulis Christum adoraret. Vbi certè non agitur de cultu ciuili; non enim fœmina nobilissima rusticanos homines ciuilitate honorasset tanta subiectionis significatione.

AVGVSTINVS serm. I. de sanctis Petro & Paulo : *Beatissimum Petrum piscatorem modò genibus prouolutis adorant Gentium multitudo.* Et epist. 44. *Ostendatur mihi Roma in tanto honore templum Romuli, in quanto ibi ostendo memoriam Petri. In Petro quis honoratur, nisi ille defunctus prouoluitis? Idem lib. 20. contra Faustum, cap. 21. obiicienti Faustus, quòd Christiani idola vertissent in Martyres, respondit, à Christianis coli Martyres, sed non latria. Et in Psal. 96. obiicientibus Ethnicis, quòd Christiani colerent Angelos, respondit similiter, & addit : *Vtinam & vos illos colere scelleretis, facile enim ab ipsis disceretur, non illos colere, id est, non colere sicut Deos, sed sicut Sanctos.**

GREGORIUS lib. 3. Dialog. ca. 24. dicit, B. Petrum apparuisse cuidam Theodoro lampades instructi in Ecclesia ipsi B. Petro dicata, vt ostenderet probare venerationem, quam seruientes sibi exhibent.

BERNARDVS serm. in illud; *Signum magnum, &c. Amplectamur Mariæ Vestigia, & deuotissima supplicatione beati illius pedibus prouoluamur.* Et serm. sequenti, qui est de aquæ ductu : *Totis, inquit, medullis cordium, totis precordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam veneremur, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.*

Argumentum QVINTVM sumi potest ex inuocatione templis,

templis, festis, votis, peregrinationibus, imaginibus, & aliis, de quibus postea: cum hæc omnia ad cultum Sanctorum non dubium est pertinere.

Argumentum SEXTVM ex eo, quod semper Ethnici, Iudæi, hæretici accusauerunt Christianos idololatriæ, propter cultum Sanctorum; quod certè non fecissent, nisi vidissent à Christianis Sanctos passim religiosè coli. De Ethnicis testatur Euseb. lib. 8. cap. 6. hist. de Iudæis idem Euseb. lib. 4. cap. 15. De Iuliano apostata Cyril. li. 6. & 10. in Iulian. De Manichæis August. li. 20. cap. 21. contra Faustum; de Porphyrio, Vigilantio, & Eunomio Hieronymus lib. contra Vigilantium.

Argumentum SEPTIMVM ex ratione; nam si honor ciuili debetur ciuili virtuti, sapientiæ, potentiæ, & nobilitati: Ergo honor plusquam ciuili debetur supernaturali virtuti, sapientiæ, potestati, nobilitati: sed Sancti quoad virtutes supernaturales, excellunt omnino, cum ferueant diuina caritate, & peccare non possint: nihil enim inquinatum intrare potest in regnum cælorum, Apoc. 21. quoad sapientiam, vident ipsam sapientiam increatam, & in ea cognoscunt rerum omnium causas, iuxta illud Matt. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, quoad potestatem, sunt Reges cælorum, & participes ipsius throni diuini, vt dicitur in Apocal. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo*. Et Luc. 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum*. quoad nobilitatem, sunt filij Dei, re ipsa iam adoptione confirmata per gloriam. Igitur meritò, iureque optimo religioso cultu prosequendi sunt.

Denique, Deus Sanctis honorem & gloriam promisit, i. Reg. 2. *Qui honorificauerit me, glorificabo eum*. Ioan. 12. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus*. Et Rom. 2. *Gloria & honor omni operanti bonum*: ergo debetur eis honor; & certè non ab aliis, quàm à nobis, qui illis inferiores sumus. non conuenit autem mortuis honor ciuili, ergo religiosus illis debetur.

